

10  
RÖPL.

420

1599.

Melchior Gerlachius

1599  
ORATIO.  
DE PRÆCI-  
PVIS IRÆ ET MISE-

ricordiæ divinæ signis,  
exhibitis

*Anno patientiæ ultimæ, 1598.*


Cui adjuncta est adgratulatio  
pia de laurinio Pannoniæ ex Turcici  
Tyranni vi liberato, & Waradino  
Daciæ castro contrâ eandem  
divina protectione  
defenso.

*In Schola BVDDISSINA, Epiphanijs  
Christi scholasticis, 10. Ian: anno  
Christi 1599.  
recitata*

â M. Melchiore Gerlachio,  
ejusd. Rectore.

*Typis Michoëlis VVolrab.*





MAGNIFICI NOBILISSIMI  
& verè strenui

DOMINI BOHVSLAI  
A MALOWITZ, IN  
Drziten & Wilavv, &c.

Sac: Cæs: Maiestatis Consiliarij filijs.  
generosa indolis adolescen-  
tibus

IOHANNI, DEMETRIO  
ET PETRO, FRATRIBVS  
GERMANIS.

discipulis sibi commendatis. imis.



*E*leganter admodum prima ætas  
hominum cum agri semente compa-  
ratur. Sementem iuvat agricola  
cura, laborq; industrius & inde-  
fessus: soli fertilitas: poli benigni-  
tas: & ex ea plurimi spem messis optimæ concipiunt.  
Iuventutem iuvant præceptores boni & fideles: so-  
lum scholæ linguis & artibus fertile: poli benigni-  
tas, ingenij gratia elegans & vigor servens: unde  
complures felicitatis expectatione & spe firma du-  
cuntur.

Nocent

Nocent sementi ut plurimum ventorum impetus  
semina promiscuè disijcientes: volucres eadem surri-  
pientes: pluvia crebriores: aestus torrens: ut sapius  
spem conceptam decipiat. Iuventuti etiam nocent  
plerunq; naturæ vagi impetus semina ingeniorum  
interdum bona satis disturbantes: sodales prævi ea-  
dem corruptentes: nimij potus crebræ irrigationes:  
vagi vanarum libidinum aestus: ut de se etiam spem  
interdum satis confirmatam fallat.

Vring licet labores adhibeantur fideles: tem-  
pestates sint adcommode: natura bona: nisi tamen  
Deus sementi & iuventuti benedixerit: proventus  
& eventus non ita sunt salutare. Benedictionem  
verò illam divinam vera fide, per pia vota, impe-  
tramus.

Cum itaq; vos etiam, nobilissimi adolescentes, à  
Magnifico nobilissimo & strenuo Domino, parente  
vestro: à Marchionatus nostri præfecto: à Reipub.  
nostræ Senatu amplissimo, informationi Scholæ  
nostræ commissi & commendati sitis: ac pietate in  
animis vestris excitanda, & exinde vera studiis ve-  
stris felicitate communicanda, maximè conspicua  
justitiæ & misericordiæ divinæ signa, anno elapso,  
quo nobiscum egistis, nobis exhibita, in corona au-  
gusta, ipsis scholasticis **IMMANVELIS**  
nostri Epiphanijs enumerata per hanc

A 2 affectione

1589  
quæstio

affectione & officio dignam, consecranda & dedicanda duxi.

Non sine singulari enim adgratulatione animadverto, vos, pro indole generosa, omnes ingeny vestri vires eò intendere: ut Magnifici & nobilissimi Domini parentis, & aliorum, qui eius vos nomine schola commendarunt nostrae, spem & expectationem superetis. Sic regno aliquando Bobemiae, sic alijs Christiani orbis partibus plurimum profueritis: nominis divini imprimis gloriam & generis vestri nobilissimi famam amplissimam propagaveritis.

Idem ut ex animo precor fideli, sic caram, fidem, & si qua in me est, industriam, de pio instituto vestro juvando, urgendo, promovendo, spondeo. Vos vestra porro pietate, sedulitate in studijs, morum gravitate & suavitare, alijsq; virtutibus generoso pectore dignis spei & expectationi nostrae respondete. Bene valete. Dab. ex Musaeo 16. Februarij, Melanchthonis praeceptoris dignissimi natali. Anno à Christo nato supra sesquingulesimum nonagesimo nono.

M. Melchior Gerlachius.



REDO EGO, VIRI nobilissimi, amplissimi, consultissimi, clarissimi & ornatisissimi, Domini & amici pie honorandi, necnon discipuli dilecti, Credo, inquam, multos vestrum mirari, quid sit, quòd, cum Ecclesia in hoc orbe militans, & in beata DEI & angelorum consuetudine triumphans <sup>τὰ γενέσθαι</sup> Filij DEI hominis facti & hymnis suavissimis & homelijs gravissimis celebraverit, solennitate pia ipsi DEO & pijs animis grata: nos etiam in hac scholastica nostra Ecclesia conveniamus. Est equidem nobis causa justissima: cur complures dies solennitati Ecclesiasticae tribuerimus. Quid enim magis admirandum? quid angelis & hominibus magis stupendum: quàm miseram creaturam humanam cum divina natura uniri? Quid dignius quàm humanam ita extolli naturam nostram: ut Filium DEI & Mariae

A 3 virginis.

Exordia  
à causa  
προκατα  
κλήσθαι

πρόσθεσις

καταλογισ

virginis DEVM & hominem, fratrem  
 nostrum εὐκλειστὸν omnes etiam angeli  
 adorent. Quid magis præter rerum se-  
 riem, & supra omnium creaturarum an-  
 gelorum & hominum vires, quàm virgi-  
 nem concipere: virginem parere? Pæ  
 ergò cum Origene exclamemus: O magna  
 admirationis gratia. O inenarrabilis sua-  
 vitas: O ineffabile magnumq; sacrum.  
 Ipsa eademq; Virgo, ipsa etiam genetrix;  
 ipsa eius ancilla: plasmatio eius ipsa quæ  
 genuit. Quis unquam ista audivit? Quis  
 talia vidit? Quis hoc excogitare potuit:  
 ut mater virgo esset, & intacta generaret  
 quæ & virgo permansit & genuit?

*ist. yaria.*

In ipso itaq; DEI nostri filio, Domino  
 nostro, uniuscuiusq; nostrum portio caro  
 & sanguis. Vbi verò portio nostra re-  
 gnat: nos regnare credamus. Vbi caro  
 nostra glorificata est: ibi nos gloriosos  
 fore cognoscamus: ubi sanguis noster  
 dominatur: ibi nos dominari sentiamus.

Servi

Servi equidem digni non eramus: sed  
 ecce filij DEI facti sumus, hæredes DEI,  
 cohæredes Christi. Etsi peccata nos no-  
 stra prohibent: substantia tamen id nostra  
 requirit: etsi delicta nos excludunt: natu-  
 ræ tamen communitio non repellit. O ad-  
 mirabile commercium. O inenarrabile  
 mysterium. O miram semper amandam,  
 semper honorandam divinæ propiciatio-  
 nis benignitatem. Si certè omnia mem-  
 bra nostra verterentur in linguas: nequa-  
 quam ad reddendum DEO laudes debi-  
 tas exiguitas nostra sufficeret.

Eciam si itaq; aliàs hac summa frigoris  
 asperitate hyemisq; sævicia omnia frigo-  
 re rigeant, torpeant, totaq; ad eò naturæ  
 facies funesta adpareat: naturæ tamen  
 Domino servilem nostram formam ad-  
 sumente: quia cælum terræ junctum est:  
 lætatur cælum natali nocte splendore  
 summo illustratum: personat aër suavissi-  
 mo angelorum concentu: lætatur in pri-  
 mis.

mis.

nis terra, quæ utpote, pacis æternæ Prin-  
cipe nato, Pacis templū Ethnicum discuf-  
sit: Medico animæ nostro nato, oleo laci-  
ciæ præ consortibus suis unctō, olei scatu-  
riginem Romæ trans Tyberim totū diem  
largissimè manantem profudit: Vite hac  
nostra, germine Davidis pullulante, flo-  
res fructus & liquorem Balsami simul in  
vineâ produxit. Sileant sanè Satanæ ora-  
cula & organa: nos, propter quorum  
salutem Filius DEI nostri de cœlo descen-  
dit, & homo factus est, nobis de beata fe-  
licitate & felici beatitudine gratulamur,  
gaudemus, triumphamus.

Sapientiam verò mirandam Pater æter-  
nus DEVS noster, de infantuli nobis nati  
manifestatione, pro sua in nos clementia  
ostendit. Pastoribus primum simplicibus  
nativitatem angelus annunciat: sinitur  
infantulus circumcidendus, & deinde se-  
cundum legem DEI in templo offertur:  
stella ex Sasa urbe Magos magiæ, justiciæ

tempe-

temperantiæ & fortitudinis, Platone testes,  
magistros, quos, secundum Herodotum,  
Persæ ad magistratū summum evehere so-  
liti sunt, itinere 230. milliarium attrahit ad  
præsepe Bethlehemiticum deducit. Hie-  
rarchijs itaq; tribus Ecclesiasticæ, politicæ,  
& Oeconomica DEVS homo factus est  
manifestatus. Quid verò de scholis? an eas  
sua manifestatione indignas duxit? Mini-  
mè. Cùm itaq; anno ætatis 12. Synagogam  
frequentaverit, alios docentes audiverit, et  
ipse met summa summæ, divinæ utpote sa-  
pienciæ laude alios docuerit: quis hæc <sup>interpres</sup>  
nostra scholastica rectè nominari posse  
dubitet? quis eadem debita animi devo-  
tione non celebret?

Atq; verò sicuti Ecclesia annum Evan-  
geliorum explicandorū à prima adventus  
die Dominica cœpit: sicuti omnes à natali  
Christi epocham nostram deduximus: se-  
cundum fastos à circumcisionis Domini  
festo annum incoavimus: Epiphania Ma-

B gorum

*Propositi-  
o.*

gorum etiam anni novi gentium nomine dignamur: sic & ferijs in Ecclesia nostra et cum eadem peractis, jam de anno-novo scholastico nobis invicem gratulemur & benè precemur. Utq; hæc gratulatio & pium ad DEVM votum toto de pectore ad DEVM dirigatur: pro animis nostris excitandis & inflammādis pauca proferā: quæ anno elapso nobis vel iræ vel misericordiz divinæ, vel & iræ & misericordiz <sup>τιμωρία</sup> fuerint: ut hæc grato animo deprædicemus; de illis DEO gloriam debitam reddamus.

*μαρτυρία*

Sicut itaq; duæ erunt orationis partes, altera iram, altera gratiam Dei nostri ut consideremus: ita ad duos fines easdem referemus: ut priore malorum magnitudinem nobis hoc anno cœpto pertimescendam cognoscamus: ex posteriore ad spem de bonis hoc eod: anno expectādis excitemur.

*Attentio.*

Quisquis igitur hoc anno felicitatem beatam desiderat: quisquis angelorū DEI

gloriam

gloriam in excelsis celebrantium consortio gaudet: quisquis tyrocinia Ecclesiæ hîc militantis amat, suspicit, ut in Academia cœlesti cum Ecclesia triumphante eadem perficiat confirmet, & in æternum continet: non tantum aures, sed & animum ijs quæ dicentur, adhibeat. Idq; pietatis officium, cum mihi de vestra in DEVM, de animæ vestræ salute curanda, pietate constet, vos prompto studio & animo attento vobis adplicaturos, planè persuasū teneo. DEVS noster, Pater Domini nostri Iesu Christi luce sua divina mentes nostras ex protoplastarū lapsu obfuscatas luce verbi sui illuminet: corda digito Spiritu suo sancto flectat: aures animi aperiat: linguā gloriæ divinæ plectrum regat: ut ea, quæ gloriæ ipsius & animæ nostræ commodo inserviant, dicamus, discamus percipiamus & perficiamus.

*Benevo-  
lencia.*

Horrendum certè & animis pijs, cum trepidatione cordis, auditu tamen dignum

B 2

est,

est, quod Spiritus sanctus adserit, DEVM nostrum esse ignem consumentem. Quae enim ignis violentia indomita: nimium, prò dolor, hoc ipso anno modò elapso sensimus. qui omnia obvia prostermit, consumit, & deperdit. Iræ equidem illius divinæ exempla nimis aliàs nobis sunt conspicua. Vbi enim mundi primi homines? diluvio perierunt. Vbi egregij illi Babylo-nicæ turris ædificatores? in omnes orbis terræ partes, linguarum confusione, sunt dispersi. Vbi Sodoma, ubi Gomorrha? sulphureo igne cœlitus demisso subversa. Vbi Aegyptij Israëlitas à cultu divinitus mandato prohibentes? Ceciderunt in profundum Erythræi maris, in eoq; sunt submersi. Vbi 600000. Israelitarū ex Aegypto educta, qui in deserto totos 40. annos errârunt? Iusta DEI ira omnes, Iosua & Caleb exceptis, perierunt. Sed quò delabor? Non enim tam de aliorum quàm nostrorum, neq; de superioribus sed modò

elapso

elapso anni signis iræ divinæ nobis conspicuis exhibitis agimus.

Vt verò, scholastici cum simus, intra scholasticas methodi rationes certas nos cõtineamus: scholastici Doctoris summi, Immanuelis nostri accuratissimam certorum novissimæ diei signorum descriptionem teneamus, à rebus oculis nostris subiectis desumptam; et animi pia memoria recolligamus, qui vel in cœlo, vel in aëre, vel in mari, vel terra *ἡθεύεισιν*, secundum Basilium *ἐν τῇ ἐξουσίᾳ* præcones silentes, *τῶν μεγάλων γίνεσθαι ἢ δικαιουσύνων τῶν θεῶν*. nobis fuerint.

In pulcherrimo cœli theatro *πολεμῶντι* vel patria nostra lucis vitæq; fontem solē, humorūq; Dominam Lunam, luminaria duo magna, quòd luce nobis concessa & vita aburamur, humoresq; corporis de industria depravemus, quin immò salutaria media animæ salutis inservientia susq; deq; feramus: pullis quasi vestimentis induta DEVS naturæ parens pròduxit: Lunam

*Docilitas**Confirmatio.  
Signa  
iræ:**1. in cælo.  
Sol &  
Luna.*

B 3

die

die Februarij vicesimo primo, in terræ peccatorum sordibus scatentis umbra involutam, Solem septimo Martij die, Lunæ interjectu, oculis nostris interceptum: quod neq; Solis luce digni aestimemur.

Videmus equidem in more positum, quòd magnates, si iram contestari certam subditis velint suis, pœnamq; vel interitum denunciare: legato modò a mandato legatum alium vel veredariū adjungant. Quid putemus quòd, intra hebdomadas duas, septimo quoq; die, Eclipsis adparuerit.

De eo ipso Ptolomæus Astrologus excellentiss: in centiloquio ait: Quando-cunq; duæ Eclipses se subsequuntur. miros eventus variasq; mutationes in omnibus vitæ humanæ statibus portendunt. Neq; verò Luna terræ proxima hac vice contenta: sed 16. Sextilis die vicissim terræ

umbra

umbra se involvit lucemq; à sole sibi communicatam abjecit. Quinimmo Sol & Luna non tantum hæc ex naturalibus causis dependentia ostenta nobis exhibuerunt: sed miro etiam colore adparuerunt. Sol equidem Calendis Maij radijs quasi exutus, excandescens DEI iram nuncians albicare modò orbis instar, modò rubescere toto pomeridiano tempore: Luna <sup>παραδελφική</sup> vas sanguine repletum in celo referre, mense Augusto & Octobri, aliquoties videbatur.

Quàm malignæ etiam malignorum Planetarum Saturni & Martis conjunctiones & oppositiones fuerint: in ephemeridibus adsignatas, tristissimis verò eventibus nimis comprobatas habemus. Ex celesti porrò patria nostra in ærem meditationes nostras deducamus.

Ventorum imperum horredū, vim stupendā arbores plurimæ in Saxonia Misnia

Bohemia.

*Stella.*

*2. In aëre.*

*Ventorū impetus.*

*Nubes.*

Bohemia, Silesia, Lusatia nostra alijsq; regionibus plurimis una nocte ex terra radicitus evulsæ, & longo quidem tractu, ordine quasi certo dispositæ designando, ad stuporem pias mentes adigunt. Nubes etiam quinto sextilis die, cum jam Sol occidisset, hora noctis secunda planè ignea, colore sanguineo admixto, Luna non splendente, per totum nobis conspicuum cœlum horrendo aspectu deducebantur.

*Nix.*

Nix decimo nono Ianuarij die, virorum cordatorum testimonio certo & confirmato, Suidnicij Silesiorum in sanguinem est mutata. Quàm horrendæ mense Julio erant répestates: ut jam jam mundi finem imminere putaremus. Decimo eiusdem mensis die grando brevi & subito æris tractu decidens columbarum ova magnitudine adæquabat.

*Grando**Pestis.*

Quot millia hominum porrò in vicina Marchia, Boëmia, Saxonia alijsq; regionibus ær pestilens infecit, infecta miserè ex-

cruciavit,

cruciavit, excruciatâ violentæ neci tradidit? Exhorrescit animus noster memoria mali epidemij, quod sub finem Martij gliscens subito in urbe nostra & extra eam semina contagiosa hinc inde spargebat, et intervallo temporis brevi ultra centum robore corporis & ætate vigentes utriusq; sexus homines abripiebat.

Corporis nimirum habitu versicolore dum nostri jam Germani gaudent & delectantur: eo ab exteris mutato: nobis DEVS morbum hunc varijs maculis, quæ Petechiæ vocantur, corpora pingentem immittit, vires æterit, prosternit, vel omnino è medio homines tollit.

Per mare porrò dum flumina etiam intelligimus: nimis, proh dolor, vicini nostri Silesij, Bohemi, Austriaci, Stryij damnum ex inundationibus mense Augusto admodum vastis senserunt: quæ non modò domicilia plurima, armenta, pecudes, sed & homines plurimos promiscuè abripuit.

*Petechiæ.*

3. Flumina.  
Inundationes.  
Scaturigo sanguinis.

C

Rem

Rem verò novam & stupendam. Propè  
moenia Varadini Vngariæ castri, ad quæ,  
singulari DEI benignitate, eodem anno  
elapso, plurimi Turcorum & Scytharum  
caesi, omine peculiari, vena fontis cujus-  
dam, mense Octobri, anni superioris 1597.  
diebus aliquot, per certas horas, sanguine  
manavit, plurimosq; id spectantes in sum-  
mam admirationem rapuit.

4. In terra

Tandem ad terram, quam pedibus terri-  
mus nostris, si nos convertamus: nonne  
horrenda iræ DEI indicia in ea exhibita  
nobis fuerunt. Ipsa enim annum eundem  
cœptum & finiendum motu & tremore  
suo detestata est: quòd inutilia tot pon-  
dera ferre & alere cogatur: spem de semine  
eidem mandato & per hyemem concredi-  
to modò non planè ea fefellit: dum se-  
mentem rarissimam produxit: æstiva  
uberiorem messem promisit, specioso sa-  
tis arborum theatro exhibito: qua ramentis,  
frumentis collectis, granis excussis, mi-

Terra-  
motus.  
Siccitas

serè

serè frustrati sumus: unde Sextili mense 4<sup>o</sup>  
etiam Vallensibus modius unus venijt.  
Hinc tot tamq; graves querelæ, de victus  
penuria & incommoditate, ut multi, quo-  
modo se suosq; alere diutius possint, vehe-  
menter solliciti sint & animo angantur.  
Grave admodum est, ære infesto uti: cœ-  
lum æneum, terramq; ferream, totaq; adeo  
naturam adversam inimicamq; habere.

Quid porrò dicam de bellis: dum ar-  
morum strepitu terra eadem personit?  
Viginti millia hominum, mulierularum,  
infantulorum tenellorum, in Vngariæ tra-  
ctu, ultra Tibiscum. ad Tokajū, & Casso-  
viam usq; à Turcis & Scythis autumno  
caesa. Quot millia in Belgico occubuerūt?

In eadem terra domicilia habemus no-  
stra, contra ventorum impetum, hyemis  
asperitatem, aliasq; calamitates subsidia  
nostra. An non verò de his etiam horren-  
dum iræ divinæ spectaculum nobis nimis  
fuit conspicuum.

Amone  
caritas.

Auxietas  
hominum

4. Bella.

5. Inten-  
dia.

C 2

Dies

Dies enim verò visitationis Mariæ, sub Iulij mensis initium, verè dies visitationis justæ DEI nostri iræ nobis in hac urbe fuit. Convocari tùm ad sacra conflimus: DEV M hymnis sacris celebramus: inde verbum DEI nostri sacrum audimus: homelia sacra finita ad eundem piè concepta vota de Ecclesiâ, scholâ, Reipub: et Oeconomix incremento salutari facimus: hiscepiam de immanitate Turcica à Michaële nostro Duce magno debellanda precationem adjungimus: quinimmò neq; medicinam absolveramus: ecce inter media vota fit in æde sacra hominum concursus: ad fores quisq; properat: ignis exorti rumor percrebrescit: hæc illæ catervatim ruunt: exeuntibus flammæ obviæ advolant. Pulsantur campanæ funesto & tristi sonitu, ictus subinde semper iterando, de plebe ad subsidium & pia vota excitanda. Stant pleriq; attoniti: alij plangunt, ejulant, petora palmis tidunt, crines dilaniant.

Lacry-

Lacrymis vix abstinco, dum faciei urbis hujus tam tristes atq; funestæ recordor. Flamma viam interea sibi vi aperit: per tecta plurima pernice motu ruit atq; volitat, ipsumq; monasterium in sublimi urbis loco situm corripit, eiusq; tectum deijcit. Hæc verò vel præsentissima toti urbi ruina imminere videbatur: sexaginta tectis flammaram disjectione passim accensis. Suis quisq; ædib. adproperat: preciosiora colligit, recondit: flammam in tectis disjectas extinguit. Hæc dum in urbe curantur: ecce verò (prò dolor) extra urbem subito aliud incendium oritur: quod quàm miserè egenorum quorumvis domicilia absumserit: mens meminisse horret, dolor luctusq; linguam impediunt, retrahunt. O miseros verò cives (animo modò recolligite vestro visa auditaq;) tùm ita subito omnibus suis fortunis exutos. O misellos orphanos aliàs parentum subsidio orbos apud propinquos latitantes, tùm vero etiam vel

C 3

con-

contubernio privatos. Vidistis, vidistis inquam, postdic eius calamitatis senes, viros, juvenes, vetulas, juvenculas & pueros promiscue hinc inde in ruderibus. spe dubia, vel aliquas reliquias queritantes, conatuque suo irrita lacrymas & gemitus miscentes.

Qui pridem victui & amictui necessaria habuerant: tum victum modò non emendicantes vidistis. Finem ejusdem Iulij principio, funesto fato eodem, respòdisse, non sine gravi animi dolore meministis: cum aliud incendium loco suburbij aliquantulum sublimiore subito nos consternavit. Verùm persequi hæc, ut par fuerat, temporis angustia non sinit. Ira divinæ anno elapso nobis exhibita signa dum modò attigimus: jam ad alteram orationis partem, misericordiæ verè paternæ exempla complectentem, descendamus. Misericordia certè DOMINI (ut cum Propheta exclamemus) quòd non consumti simus.

Iusticiam

Iusticiam itaq, DEI vindicis gravissimi, ex signis iræ eius commemoratis, agnoscimus, veneramur: misericordiam verò infinitam nobis, anno eodem elapso, exhibitam cogitando non adsequi, nedum verbis exprimere possumus.

Magna verbi sancti est suavitas: major gravitas, maxima eaq, dignissima utilitas. Quomodo enim homo Christianus & pius à non Christiano & impio discernitur? DEI cognitione, & voluntatis divinæ perficiendæ studio. Vnde DEI cognitio divinæq; voluntatis perficiendæ studium? Ex uno DEI verbo. In hoc omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, quanta de DEO haberi in hac vita potest, repositi continentur. Quid enim mentes nostras caligine ignorantæ & dubitationum de DEO obfuscatas luce pura illustrat? DEI nostri verbum. Quid corda dura emollit? frigida fouet: rigida flectit: pauida erigit: auida docet: timida excitat:

tumida

*Misericordie divine signa:*

*Verbi sancti conservatio.*

tumida reprimat: afflictâ consolatur? Dei nostri verbum. Hoc unico, ut pijs precibus cum DEO colloquimur nostro, Deus nobis respondet: suam essentiam & suam voluntatem aperit, & reuelat.

Quò major ergo verbi sancti dignitas: quò dignior ejus majestas: eò major Dei nostri eaq, uerè paterna clementia: quòd uerbum suum purum, hoc modo elapso & superioribus annis, apud nos conseruauerit: in Ecclesia & scholis per doctores fideles idem propagauerit: multasq, sibi animas sanctas adducendas curauerit.

Vni porro DEO, & secundum Deum Magistratui nostro pio primæ etiam Decalogi tabulæ custodi & uindici acceptum feramus: quòd nò modo hospitium ueræ Propheticæ & Apostolicæ atq; orthodoxæ religioni in urbe præbet, & gloriam diuinam, nostramq, & plurimorum aliorum salutem, quantum in se est, procurat & promouet: Verum etiam Salomonis, Iosia,

Cyri,

Cyri, Darij, aliorumq, piorum exemplo, de templo Domini ædificando, restaurando, ornando nihil in se desiderari patitur.

Quòd etiam idem Deus hanc scholam Ecclesiæ & Reipub. seminarium, pietatis artium & linguarum sanctam officinam hoc eodem anno conseruauerit: sumam & uerè paternam eius misericordiam celebramus, decantamus, deprecamur.

Cum enim uerò tempore uerno petechiæ plurimas inficerent ædes: aliquos, quamuis paucos, scholasticorum corripent: cum æstivo tempore & autumnali dysenteria periculosa multos alios invaderet: morbillæ vel varioli plurimos abriperent: cætu satis frequente hinc conueniente quotidie & officij sancti munia subeunte, suscipiente, sustinente, per angelos suos sanctos DEVS noster in uis nos nostris custodivit, & angelum percussorem, ne limen scholæ ingrederetur, prohibuit.

Eximium & hoc est misericordiæ di-

D

vinæ

*Scholæ ab  
omnibus  
periculis  
de sensio.*

vinæ argumentum, quòd & docentibus & discipulis in schola nostra, de salutari laborum & diligentia fructu benedixerit, & benedicat (non nobis sed nomini cui Domine da gloriam) invidia crepante: calumnia strepente: uno DEO duce, virtute strenua comite: conscientia bona teste, rumores vagos & vanos non curando, ut strenuè in vijs nostris persistamus, perseveremus, pergamus.

Quæ misericordia divina signa in Ecclesia & schola nostra DEVS noster nobis, anno elapso, præstiterit: non, ut debuimus & voluimus, sed ut angustia temporis potuimus, summa rerum fastigia attingendo, pervolvimus: jam ad Reipub. salutarem statum transeamus.

Magnum est, quòd DEVS Imperatori nostro verè Augusto, Rodolpho II. Domino nostro clementissimo, valerudinem bonam, animi & corporis vires conservaverit: in totius Imperij Germanorum in-

*Magistratus.*

cremen-

crementum salutare: majus, quòd consilijs rogatis & bellicis sapientiam divinam concesserit: maximum, quòd successu & eventu satis felici idem DEVS noster consilia & actiones coronare dignatus sit.

Non certè tantam læticiam aut felicitatem scribendo, vel dicendo adsequi discretissimos Oratores arbitror: quantam Martio anni elapsi mense, recepto præter omnem spem Iaurinio al. Raba dicto, jure lætamur, intusq; plaudentibus animis nobis & Reipub. Christianæ verè gratulamur. Jam nimirum per omnes terras populosq; universæ Europæ atq; Asiæ fama tantæ victoriæ pervolavit: quæ tristissimum maerorem acerbissimumq; dolorem hostibus, Christianis omnibus gaudium incredibile attulit. Quid enim potuit accidere magnificentius ad divini Numinis & augustissimi Imperatoris nostri nominis gloriam? quid ad cõmunem Christianorum salutem opportunius, quàm illud totius Pannoniæ

*Iaurinj  
occupatio.*

D 2

vel

vel regionū etiam vicinarum propugnaculum recuperatum? Est certè & natura loci & opere cunctis partibus in accessum, & usq; eò ad expugnandum difficile: ut primo intuentem deterreat: si quis pergat, eius vires atterat; postremò cœpti pœnitentiam cum damno penitus incutiat. Quamobrem Sinan Bassa, quem insignes in Persia & alijs locis victoriæ clariorem, quàm natales sui fecerunt, castrum illud in gressus proditione sibi traditum, fertur arrogantius de se jactitasse, se illud, quod capi alias minimè potuisset, sine labore & æstu in suam potestatem rede gisse.

Estq; hæc castri hujus munitissimi præterito anno occupatio felicissima admiratione dignior: quò quidem ea, DEI nostri uno subsidio, fuit facilior. Non enim vallo & fossis obsessio cœpta: non majoribus tormentis bellicis admotis tentata, vel mœnia quassata: sed (mirum & stupendum) portæ malleoli injecti (petar-

dam

dam aliàs instrumentum vocant) eaq; subito disrupta, disjecta Schvartzburgico Baroni; heroi fortissimo aditum patefecit quo potitus reliqua jam multò ante provisiva ordine optimo disposita felicissimè adeptus est.

Quanti aliàs sumtus impendendi: quot millia Christianorum trucidanda fuissent: & ambiguus eventus expectandus? Factentur ipsi hostes, castrum munitissimum hoc esse, neq; simile huic in omnibus ditionibus Turcicis, præter Guleram in Africa, inveniri. DEVS verò noster, cui hoc acceptum animo grato referimus, intra horas quinq;, quibus Turci fortiter nostris restiterunt, Vabocourtij Lotharingi ingeniosa petardæ instructione, & animosa ad portā adplicatione, nec nō Schvartzburgij Baronis sapientia & fortitudine, sumtibus exiguis, laude eximia ad posteritatem transmittenda, nostris tradidit. Ita nimirum DEVS noster exiguis eximia,

D 3 infir-

infirmis firmissima, ea quidem humana divinis subsidijs confundere, contundere solet.

Non certè, non, inquam, hæc tam fortunæ, ex Capricorno in horoscopo Cæsari nostro cū Alexandro Magno, & Octaviano Augusto, altero Orientis, altero orbis terrarum domitore communi, quam DEI nostri providentiæ & potentiæ, pietate debita, adsignamus, &, nominis divini celebratione pia, accepta ferimus. Verùm longius orationis vela, atq; temporis aura admittit, expandimus, extendimus: ideoq; ea, ne tardum auditoribus pariant, contrahemus.

*Alia castella occu-  
pata.*

Neq; tamen silentio præterire possumus castrum Dotis obsidione à nostris captum mense Sextili, Sambokam, Palotram, Vesprium, Valissam, Chakokro & alia, divinæ felicitatis metu, à Turcis deserta, nostrisq; militibus relicta. Etsi enim Laurinio hæc adæquanda minimè

sunt:

sint: opportunitatem tamen contra hostes profuturam aperuerunt.

Quid porro? Num vel provida Imperatoris nostri cura, Germanaq; Schvartzburgij Baronis virtus quieverit? Minimè. Budam enim aggressus, urbem inferiorem obsidione strenua cepit: in superiori urbe & castro etiam Ianizaros milites alijs satis strenuos ad summas animi angustias ad egit Octobri mense: &, nisi aëris inclementia de pluvijs crebrioribus institutum Schvartzburgij impedijset, inde morbi plurimos militum invasissent: castro etiã ipso, diuino numine juvante, potitus esset. Urbe tamen direpta, flâmis concremata, spolijs amplis onustus ad hyberna abiit.

Hæc equidem, de Laurinio recepto, Budæ urbe capta mira: argumentum verò clementiæ diuina admiratione dignius accipite.

Victoria nostrorum divinâ, bellua Mahometica exacerbata, modò non ignem

spirans

*Budæ  
inferioris  
urbis di-  
reptio.*

*Vara-  
dini de-  
fensio.*

spirans, fremens, frendens, consilio nobis  
satis periculoso viso, exercitum 130000.  
Turcorum & Scytharum probè instructū  
per Serdar Bassā, non ad Budā regiam me-  
tropolin Vng. defendendā: quam utpote  
oppugnatum iri à nostris non putaverat:  
sed ad Varadinum castrum, opportunitati  
in Fransylvaniam & nostras regiones alias  
irruendi ad commodatum, omnes suas vi-  
res convertit, idq; jam dudū animo com-  
plectebatur suo, totūq; spe satis alta modò  
non devoraturus, confidenter satis suis  
jam rapinis designaverat. In castro (rem-  
miram) magnanimus heros Melchior Rö-  
derus nostrās, provinciæ hujus Baro pri-  
marius, milites secum plures ægros, pauci-  
ores viribus & animo valentes habebat.  
In uno tamen DEO heros insignis piè  
animum defigens suum milites, quorum  
ultra 2500. non habuit, ad verè piam &  
Germanam fortitudinem & verbis &  
exemplo hortatur suo.

Hostis

Hostis castrum circumcirca numerofo  
suo exercitu cingit, eo quidem & Maho-  
methe impio fretus: expugnationē atten-  
tat, sibiq; spe satis confirmata pollicetur:  
tormentis bellicis plurimis adhibitis mœ-  
nia quassat: propugnacula disijcit duo:  
cum exercitu benè disposito irruit: militi-  
bus defatigatis recentes copias submini-  
strat: totos 30. dies vim dolumq; adhibet,  
quò potiri castro illo possit. Rumor ad  
nos adfertur: nos præter vota ad DEVM  
ardentia nihil. Interea itaq; Röderus, he-  
ros magnanimus subsidia, quib. niteretur,  
humana exigua habebat: in uno numine  
divino spem cōfirmatam animo forti piè  
fovebat suo. Hoc itaq; uno numine sancto  
præsente, paucis militibus cum hostium  
exercitu collatis sapienter adhibitis, hostes  
magna copia, belluino fremitu irruentes  
fortiter sustinebat, repellebat, plurimos  
fundeat, ijsq; Panicum metum incutie-  
bat. Vim ergò extremam hostes adgre-

E diun-

diuntur: tormentarium pulverem propugnaculis substruunt duobus, ad ea selectos quosque milites deducunt: magno clamore, victoriae fiducia plena, irruunt, quin & vexilla in ipso aggere nostrorum erigunt: ita quidem, ut de humanis subsidijs planè spes reliqua esset nulla. Verùm, rem mirandam, stupendam, DEVS noster pro nobis pugnans vim pulveris tormentarij ab hostibus propugnaculis castris subiecti, præter expectationem, eorum accensi, in ipsos hostes infideles retorquet: unde plurimi hostium discutiuntur, & frustillatim in aërem disperguntur. Noster & nostras Röderus, Baro & heros fortis, divino subsidio præsentente fretus, cum paucis suis, vel foemina etiam una atque altera Amazonum instar sponte pugnante, & virtutem virilem exhibente, contra audentior ibat, suos urgebat, instabat, & miro modo, exiguo suorum numero, numerosissimum ho-

stium

stium exercitum repellit, exanimat, confundit & contundit. Turci itaque, exanimati, ne omnino perirent: turpi fuga dilapsi Waradino discessere. Sic ergo, secundum DEVM, unus hic Baro Röderus nostras cum suis sibi adjunctis fidelibus victoriae socijs, Imperatori & Imperio Germanorum castrum illud probè munitum anno clapsò vindicavit, defendit, conservavit: ex quo ipsius pia & strenua virtus omni jure, animi grati memoria ad posteritatem, si quæ futura, est transmittenda. Et hæc quidem de bellicis: ad toga nostra redeamus.

Non minor misericordia DEI est nostri, quòd Magistratui nostro, cui urbis hujus, secundum eundem DEVM & Cæsaream Maiestatem, paterna cura incumbit, spiritu sapientiae adfuerit, præfuerit, de legibus bonis conservandis,

*Senatus  
urbis.*

E 2

confi-

consilij & deliberationibus pijs in incrementū salutare Ecclesie Reipub. & scholæ instituendis & ad eventum felicem deducendis: ita ut pax & justitia in portis nostris sibi obviam suavisimo osculo mutuo sese exceperint. Et hæc de misericordia divina in Reipub. nostra satis conspicua.

*In Oeconomia.*

*Incendia.*

*Petechiæ.*

*Pestis.*

O immensam verò in Oeconomia nostra ejusdem DEI nostri misericordiam: qui unus, cum omnia de incendio in urbe nostra et extra eam exorto cohibendo, humana subsidia cessarent: per angelos suos sanctos dextra sua paterna vim utriusq; cohibuit & prohibuit, nostrosq; lares ab eo immunes præstitit. Idem DEVS, quò major metus ex petechijs plebeculam corripuerat, majorè misericordiam adhibuit: quòd ita brevi temporis intervallo justitiæ suæ de peccatis nostris vindicandis metas inclusit. Idem DEVS unus & solus, dum triste speculum luis in vicinia

grassan-

grassantis ob oculos nobis posuit: anno tamen elapso ab eadem nos custodivit. Etsi etiam annona satis difficilis fuerit: ita tamen, pro gratia sua verè paterna, idem DEVS nobis nostrisq; benedixit: ut, dum non solo pane vivit homo, sed omni verbo DEI efficaci benedictionis organo: neq; de victu vel amictu nimia in hac Reipub. egestas sic animadversa. Etsi plurima alia immò infinita divinæ in nos clementiæ signa nobis anno priore exhibita sint; grato quidem à nobis animo celebranda: cum tamen eorum enumeratio aciem ingenij superet nostri: multò minus celebrationi eorum infirmitatem sufficere nostram, agnoscimus.

*Annona.*

Quia verò ex ore infantium & lactentium laudes sibi DEVS paravit noster: iudicio licet infantes simus: & lac sinceritatis pabulum animæ nos alat: facundi eq; donis exiguis instructi simus: DEO

*Peroratio*

tamen eidem nostro strenam, incunte hoc anno novo, Cor contritum & humiliatum, quod non despiciet, & veram in ipsius auxilio fiduciam, debitamq; in officij munere sedulitatem tam docendo quàm discendo, tam regendo, quàm parendo consecremus & devotis animis, corde toto ipsi DEO addicto, consecrato, voce pia ex eodem promanante, ad eum nos convertamus, & quem initio orationis hujus de ea habenda invocavimus; jam eius finem, animo supplice, filijs digno, ad eundem devolvamus, eiq; consecremus.

*Gratiarū  
actio.*

**T**ibi itaq; ô IESV IMMANVEL, frater noster, & per te Patri æterno & Spiritui sancto DEO nostro trino & uni gratias, quas mente nostra angusta, infirma concipere possumus, agimus: quòd anno elapso, corde tuo verè paterno ita immensam in

nos

nos misericordiam & clementiam tuam, tanquàm ex fonte largissimè promanantem deduxeris, eaq; nos superstites salvos & incolumes servaveris.

Tu DEVS unus potentia tua verbum in Ecclesia sanctum, cum eoq; linguas artes in schola: tu Sacramentorum usum integrum: Tu in utraq; docentes & discentes conservasti: tu utriusq; incrementum salutare pro clementia tua verè paterna, dedisti & adversus Satanam eiusq; squamas defendisti: conservasti, promovisti.

Tu Imperatorem nostrum Augustum eiusq; in hoc Marchionatu nostro Præsidem & præfectum: tu urbis hujus Senarum consilijs salutaribus instruxisti, & consiliorum & actionum eventu salutari beasti. Tu forti tua dextra portas Iaurinij resecrasti: militum nostrorum animos exuscitasti: hostes debellasti & ca-

E 4 strum

strum aliàs humanis viribus invictum, de improvise Imperatori nostro reddidisti: Tu Budam urbem, castro relicto, expugnasti: Tu solus Waradinum contra tam ingentes infidelium copias per verè Generosum & pium Baronem Röderum nostratrem defendidisti: metu hostibus injecto eos à castro abegisti: pium verò tuum servum herosa magnanimum cum alijs fortibus militibus sustentasti. Tu solus incendij vim indomitam æstate anni elapsi domuisti: ab epidemio morbo verno, à lue hinc inde grassante nos tutos & incolumes præstitisti: nobis nostrisq; victum & amictum subministrasti. Omne deniq; quod sumus, quod habemus, ô DEVS præpotens noster, sola tua misericordia sumus, & dum volueris, habemus. Tibi laus & gloria in secula.

*Precatio.*

Cum verò te DEVM nostrum trinum & unum peccatis ad iram iustam

irrita-

irritaverimus: cujus signa enumerata aliq; plurima eodem anno exhibuisti: te supplicii animi nostri devotione rogamus: ne intres in iudicium cum servis tuis: sed nostri miserere. Cum anno novo Spiritum tuum innova in visceribus nostris, qui nos in vijs tuis ducat, de veritate tua doceat, mandatis regat, & subsidijs sanctis regat. Conserva anno hoc cœpto verbi puritatem, linguarum & artium flori Reipublice juventuti nostræ instillandarum lucem, Sacramentorum integrum & verum usum. Rege Magistratum spiritu sapientie tuæ, ut nos feliciter regat: Cor nostrum, ut eidem obsequium pium præstemus, flecte. Tuere pacem, tranquillitatem: averte dissidia, tumultus, bella, famem & alia horrenda mala, quibus hæc ærumnosa vita est exposita: da alimenta vitæ nostræ necessaria: ærem conserva salubrem: & à lue contagiosa nos porrò tutos præsta. Reprime furorem diabolorum hostium

E 5 tuo-

tuorum & nostrorum, & nos cum illis  
eorumq; organis confluentes adjuva: ut  
per te triumphemus.

Hosce etiam alveolos sanctos, o Iesu  
dulcissime, Academiae caelestis omnium  
electorum & fidelium Rector, sub umbra  
alarum tuarum protege, de doctrina sana  
propaganda & disciplina honesta conser-  
vanda: docentium & discipulorum animos  
rege: ut in posterum etiam tempus, in hoc  
olim Martis, iam pietatis & artis propug-  
naculo, sic sancta sanctitatis, honestatis &  
eruditionis vitae humanae salutatis officina:  
in nominis tui ter sancti sanctam, in hac  
& futura vita, cum angelis & electis om-  
nibus celebrandam gloriam, & nostrum  
& aliorum per nos usum tibi gratum,  
nobis alijsq; salutarem.

Dixi.

Докр То Веѣднѣ Огнѣ

DE PIIS ECCLE-  
SIAE, SCHOLARVM, MI-  
LITVM, ET OECONOMORVM  
piorum, contra Turcam, armis,  
ANAGRAMMA  
TVRCA literis disiectis  
CV RAT

**N**unc votis opus est iunctis, & pectore forti:  
Illa DEO damus: hoc donat at ille pjs.  
TVRCA pro bello petitur: defensio iusta  
Christi adum gentis pendet et inde sacra.  
Nostra sed, heu, nimium nobis improvida CVRA est,  
Lata ferunt lethum, tristia fata metum.  
Rebus in aduersis pauidi sumus: inq; secundis  
Securi nimium: pullulat inde malum.  
Auri sacra fames radices suggerit: illa  
Nil CVRAT; verè huic CVRA at avara sui est.  
Quin Venus & fœnus Marti dat spicula mortis:  
Eventum hinc metuit Patria nostra malum.  
Prædantur Patriam multi, qui occumbere iussi  
Pro Patria, en, hosti præda petita, ruunt.  
Nempe gulam multi dum CVRANTI CVRAT eosdem,  
Ut iugulet vigili pectore, FV RCA ferox,  
Ille suam CVRAT sic famam extendere factis,  
Quin augere suum CVRAT & ille solum.

CVRA

Rodolphus  
Imp.

CVRA vigil, turbaq̄ metus: mora rara: laborq̄  
 Indefessus: atrox ardor eumq̄ juvant.  
 His Germana olim quoq̄ gens sua libera demisit  
 Colla iugo, his hostes vicit & illa suos.  
 Iam Samaritanus CVRAT nos; Micaël unus  
 Pro populo sancto militat ille suo.  
 Iungitur Induperator ei; cui CVRA paterna est,  
 CVRAT ut ipse polum: CVRAT & ille solum.  
 Atq̄ suos CVRAT nos, quos huic dia potestas  
 Addidit AVXILIO CONSILIOQ̄ bono.  
 Te modo CVRANTES CVRA Germania mater  
 Excipias vigili: sit tibi CVRA boni.  
 TVRCA licet premat: opprimet haud: tu vota lebova  
 CVRANTI des: sit vitaq̄ sancta tibi.  
 Fata tuas CVRAS releuabunt prospera: frustra  
 Sic Regnum CVRAT TVRCA feroxq̄ suum.  
 Opprimet hunc vindicta DEI: Tu palma virebis  
 Freta DEI verbo, pondere pressa graui.

M. Gerlachius.



